268
266
272
262
277
257
317
217
367
167

secus Padum flerent mortem Phaëtontis, in arbores sunt versae electrum lachrymantes; nisi dicere velimus, quod antequam ad Padum venirent, habitassent in Rhodo, et quia filiae solis erant, ideo forte tot colossos consecraverunt Soli Rhodii.

Post Heliadas venerunt Argonautae, post quos cepit insulam Tripolemus, inde Graeci, inde Romani, et demum iterum Graeci, sub quibus Turci ingressi insulam possederunt, ut dixi, et multo tempore ibi cum Christianis habitaverunt, et nisi Deus citius succurrisset, tandem Christiani penitus de insula eliminati et deleti fuissent. Sic autem Dominus illi insulae auxilium praestitit. Anno Domini 1308, dum capta et perdita esset Hierosolyma et terra sancta, exstinctis Templariis ordinatione Clementis V. Johannitae, in quos militia templi translata fuerat a Templariis, primo in Cyprum navigaverunt, sed quia rex Jerusalem cum nobilibus et multitudine populi in Cypro habitabant, non bene poterat insula eos omnes capere, sc. regem, patriarcham et magistrum militiae templi cum eorum populo; unde Johannitae templi milites instaurata classe vagabantur per mare, quaerentes sibi locum ad habitandum a Turcis possessum. In Aegeum vero mare processerunt et Rhodum videntes animo fixerunt insulam capere. Applicantes autem fortissimam in ea manum repererunt, unde eam quatuor continuis annis obsederunt, tandem spe obtinendi quasi frustrati, cum obsidionem solvere cogitassent, acceperunt, nonnullos in civitate se habere amicos et fautores, et tunc fortius oppugnata urbe illorum, qui intus favebant obsidentibus, practica capta civitas fuit, quam numquam cepissent, si illi intus non favissent. Capientes autem urbem Turcos omnes ejecerunt et paene dirutam Christianorum suffragiis instauraverunt et navalia reformantes non solum (**163 a**) insulam ipsam tutati sunt, sed et Cypriis aliisque finitimis Christianis et peregrinis Hierosolymam petentibus magno auxilio esse ceperunt factique sunt terribiles et Sarracenis et Turcis et nonnullis infidis Christianis odibiles, nam Genuenses quondam mari terraque potentes contra eos et insulam eorum classem duxerunt, qua superata plurimi Genuensium sunt necati, major tamen pars captivi in urbem ducti sunt. Hos captivos Genuenses redemerunt, aedificantes propriis sumtibus murum molendinarum in mare a civitate porrectum in profundum multis passibus, et super murum XIII turres, cum rotis ad ventum volubilibus ad

Ende
Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;